



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 113. Exeunte autem illo ianuam vidit eum alia ancilla. v. 71.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

ipsum studiosius observandi, ac diligentius invigilandi salutis suae: sint & mea gravia peccata & multiplicia, obsecro Domine, mihi materia & causa me humiliandi Indies magis magisque contemnendi me, & poenitendo continuo, me convertendi & tibi adherendi in omnem aeternitatem.

§. 113. *Exeunte autem illo ianuam vidit eum alia ancilla, v. 71.*

Bone Deus! quanta remora est mulier? Petrus volebat fugere occasionem peccandi & relabendi, ideo malam societatem relinquit, rediens ad mentem & cupit desistere semel commissum peccatum suae negationis, eumque in finem excedit ex atrio summi Pontificis, & ecce videt eum alia ancilla, & iterum tenetur & terretur Petrus solo visu ancillae, & compellitur ad negandum Christum Dominum suum denuo praeter timore, angustia & confusione mentis. O felix qui in tempore potest declinare a malo & fugere malas societates, maxime mulierum procacium, quam magnum fugit & animae & corporis detrimentum: si enim Petrus abscondere se potuisset, ne visus fuisset ab ancillis, utique in tantum periculum animae non incidisset, non enim toties curiosius interrogatus fuisset, unde nec anam respondendi habuisset.

O Domine Iesu quid dicam recogitando fragilitatem humanam in Petro! rogo humillime da illam gratiam mihi & omnibus qui se saeculo abdicarunt, & abdicare vi sui ordinis aut professionis tenentur, ut nunquam inveniar in societate malorum maxime mulierum, ne occasio & mihi detur te negandi, si non directe saltem indirecte per peccata, quae in similitudinem conversatione & familiaritate occurrere solent & irrepunt etiam non advertenti,

§. 114. *Et ait his qui erant ibi, v. 71.*

Vide nequitiam mulieris non poterat ancilla se continere quin Petrum proderet, non clam sed aperte: ait enim his qui erant ibi in atrio scilicet militibus & ministris principum Iudaeorum quasi increpando illos de incuria & simplicitate, eo quod tolerarent in atrio & apud se discipulum & familiarem eius qui captus esset, insinuans eundem oportere similiter vinculis coerceri, ut exploratorum captivum detineri & tradi principibus ligatum.

Domine Iesu quam mundus plenus est laqueis, insinuans eundem oportere similiter vinculis coerceri, ut exploratorem! dum Petrus cupit vitare Charybdim, incidit in Scyllam, dum cupit fugere occasionem ulterius peccandi, ecce alia remora, vidit eum alia ancilla, accusat eum & prodit apud milites & cohortem Principum in atrio, ita ut perterritus Petrus iterum disponatur ad negandum te, bone Deus, quis hos laqueos effugiet? nisi qui spretis omnibus mundi, te nudum Christum nudus sequetur in humilitate, & patientia, abstractus ab omni mundana conversatione. Precor hanc